



CONTROVERSIAE PHYSICAE

DE ORTV ET IN-  
TERITV CORPORIS  
NATVRA LIS



QV AS

IN ALMA ELECTORALI VNIVERSI-  
TATE INGOLSTADIENSI

PRÆSIDE

BERNARDO FREY SO-  
CIETATIS IESV PHILOSO-  
PHIÆ PROFESSORE  
ORDINARIO

PVBLICE RESOLVIT


HENRICVS GRESCHBECK  
NEOFORENSIS BOIVS META-  
PHYSICÆ STUDIOSVS.

ANNO VIRGINEI PARTVS M. DC. XLIV.

MENSE MAIO.

INGOLSTADII,

Typis GREGORII HAENLINI.



ILLVSTRISSIMO

DOMINO, DOMINO

WOLFGANGO  
THEODORICO

Comiti de Törring, & Tengling,  
IN STAIN, PERTENSTAIN NEVEN-  
KIENING ET MARBANG:

S. R. I. E QVITI;

SERENISSIMI ELECTORIS BAVARIÆ  
à cubiculis, Consilij Aulici Præsidi, Præfecto in  
Traunstein, ac Prouincialium Ordinum  
Boicorum adiuncto;

REVERENDISSIMI ATQVE ILLVSTRISSIMI  
PRINCIPIS ATQVE EPISCOPI RATIS-  
PONENSIS CONSILIARIO AC PRÆFACTO  
EBERSPEVNTENSI

Domino suo Colendissimo

*Hæc*

DE ORTV ET INTERITV  
RERV NATVRALIVM POSITIONES  
Nunquam interituro affectu

*Offert ac Dedicat*

Ad omnia obsequia

*Promptissimus*

HENRICVS GRESCHBECKH.



# PROE M I V M.



*AD* Ortum & Interitum Corporis Naturalis cum Aristotele in libris de Generatione & Corruptione tendimus, & quia pleraq, quae Aristoteles in duobus libris de Ortu & Interitu tradit, ad Actionem substantialem & accidentalem potissimum referuntur, de duplici hac actione praesenti disputatione, ea, quae hodie controuertuntur, ex mente nostra, aliorumq, breuiter per modum thesium duobus §§. proponemus.

## §. I.

### DE ACTIONIBVS SVBSTANTIALIBVS.

**AN GENERATIO SIT MODVS AB AGENTE ET TERMINO REALITER DISTINCTVS?**

**N**egant Amoditæ cum magnâ tamen explicandi diffensione: aliqui enim adaequatè identificant cum causa; alij cum effectu; alij cum viroq, iterum autem varietate; sunt enim, qui ita identificant, Si Virumq, causa & effectus, velut pars, intrinsicè constituat generationem, quomodo nos Relationem praedicamentalem, & vniuersim denominationes partim intrinsicas, & partim extrinsecas explicamus: sicut qui adaequatè identificant cū alterutro extremorum secundum euitatem, secundum tamen denominationem requirunt extrinsecum connotatum, à quo intrinseca denominatio agentis aut producti compleatur, à quo Connotato Connotatores appellantur, & à Mendoza disp. 6. Metaphys. sect. 3. subsect. 7. Arriaga disp. 12. Logie. Quaed. Contr. 9. metaphys. p. 4. §. 2. efficaciter reijciuntur.

Affirmant Moditæ ex antiquâ receptâq, praescriptione, ac Generationem ab agente & termino toties realiter distinguunt, quoties indifferentiam aliquam in causâ ad operandum, aut in effectu ad dependendum agnoscunt, quae quidem indifferentia fundamentum & basis est modorum, ac etiam Generationis: cum enim istâ, nec in causa Generante, solâ positione effectus, nec in termino siue effectu, solâ positione & existentia agentis, nec versusq, coexistentiâ sufficienter tollatur, ad aliam euitatem, eamq, Modalem necessario erit confugiendum. cum quibus

**D I C O - I.** Cùm vniuersim non omnis causa creata ad effectum, aut quilibet effectus ad hanc causam essentialiter, & per se determinatus sit, vniuersim modus actionis negari non potest, à quo ea indifferentia tollatur; Quod si tamen agens aliquid creatum sit ex sua natura determinatum ad operandum, aut effectus ad dependendum ab hac causâ, vt fieri posse concedit Arriaga, & de facto fieri in actionibus vitalibus per se dependentibus ab anima concedit Ouseda, nec ab agente, nec ab effectu ob defectum indifferentiæ distinguemus; Id autem vniuersim & de facto, de omni causalitate causâ efficientis affirmare, est contra commune Philosophorum & Theologorum proloquium, quo volunt omnem effectum absolutum, qui à creatura procedit, posse à solo Deo procedere. est Affirmare, hominem per generationem à parentibus productum à solo Deo reproduci non posse, adeoque nec Resurgere à mortuis virtute solum diuinâ.

Quòd si huic opponas alterum Philoſophorum proloquium, actionem identificari cum termino, id vel vniuerſale non eſt, vel intelligendum, actionem identificari cum termino, ſicut quodlibet accidens abſolutum identificatur cum ſuo ſubjecto, in quo recipitur; potiùs autem actio identificatur cum termino quàm agente, quia omnis actio recipitur in termino, non item in agente. Datâ tamen (non conceſſâ) hâc omniſ cauſæ ad ſuum effectum, aut effectus ad cauſam intrinſecâ determinatione, poſſibilis eſt ſaltem cauſa ad effectum aut effectus ad cauſam indifferentem; quo caſu A modis æquæ coguntur admittere Modum, eumq; defendere, quàm ſublata indifferentiâ eandem Modis vltro ſuperfluum eſſe concedant: Nec ſufficit dicere indifferentiam per extrinſecam Dei voluntatem, eiùſq; decretum intrinſecè, & formaliter tolli: ea enim voluntas Dei cauſam ad operandum aut effectum ad dependendum determinans nec ſufficiens, nec neceſſaria, nec vniuerſaliter poſſibilis eſt. Non ſufficiens: eâ enim poſitâ agens ſaltem liberum non neceſſariò operatur; præterquam quòd extrinſeca Dei voluntas tam parùm poſſit facere cauſam operatiuam, aut effectum formaliter & intrinſecè dependentem ſine actione ſuperadditâ, quàm tribuere effectum formalem intrinſecum ſine ſuperadditâ formâ. verbi gratiâ, facere album aut nigrum ſine albedine, aut nigredine. Non neceſſaria: cum in multis actionibus liberis & peccaminofis voluntas Dei non ſit niſi conditionata, permiſſiua, & indifferentis, potiùsque determinatione indigens quàm illam importans, Non poſſibilis: aliàs in actionibus liberis, cauſam liberâ, voluntate efficaci prædeſiniendo determinans, intrinſecè, antecedenter neceſſitaret, quod vnum prædeſinitionem phyſicam Thomiſtarum, & prædeſinitionem intrinſecam Scotiſtarum difficillimam reddit. Nec dicas eandem entitatem in ſe inuariatam ſolo ſcotiſeco Connotato poſito, intrinſecè aliter denominari poſſe; vt ſit I. in actu Dei ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ & viſionis, in actu approbationis ſimplicis, & efficacis intentionis, & maxime actu Dei libero; vt ſit II. in virtute & potentia obedientiali creaturarum, quarum vis actiua intrinſeca per potentiam obedientialem, completur à voluntate Dei extrinſeca; vt ſit III. in rebus creatis potiſſimum relatione Prædicamentali, Vniouæ continuatiuâ, Vbicatione & Duratione, quæ omnia per ſolum extrinſecum connotatum termini, partis, loci, aut temporis extrinſecè aliter denominantur. Non inquam dicas, niſi ſimul neget vllam deſacto intrinſecam mutationem dari ſecundùm entitatem in rebus creatis, ſed tantùm ſecundùm denominationem, & nouum connotatum extrinſecum. verbi gratiâ, Materiam per aduenientem formam intrinſecè & ſecundùm entitatem non mutari, ſed iam per ſe eſſe quantam, ignem, aut ærem; non tamen hoc modo intrinſecè denominari, niſi ad poſitionem extrinſecæ ſibi Quantitatis, formæ ignis aut æris, quod eſt euertere totam Philoſophiam. Inſtantiæ Theologicæ Connotatores iſtos nihil iuuant, potiùs premunt, quia ſcientia viſionis & ſimplicis Intelligentiæ, actus Dei liber &c. fortasſe non ſunt adæquatè Deo intrinſeci, vt RR, docent; vel eſt eadem difficultas inexplicabilis, & quamuis in Deo concederetur propter intrinſecam Dei immutabilitatem, tam parùm tamen ad res creatas trahi debet, quàm illius ſimpliciſſimæ entitatis virtualis diſtinctio in ordine ad prædicata realia contradictoris ab vltro ad res creatas detorquetur. Virtutem obedientialem intrinſecam creaturarum ſola extrinſeca Dei voluntas nullo modo formaliter tribuit, ſed virtutem creaturarum & potentiam intrinſecam ad eò ſupponit; vt, niſi ea ſupponeretur, nec Deus eleuare vellet, nec etiam poſſet. voluntas proinde Dei conditio eſt, ſine quâ ea virtus in actum exire non poſſet, niſi alterum comprincipium, omnipotentiam diuinam admoueret. Inſtantiæ Philoſophicæ nihil probant, vel enim in illis nulla eſt indifferentia, vt in relatione poſito fundamento & termino cum ratione

fundandi; & continuatione positiã immediatã partium dispositarum præsentia; vel est in consequentia authorum, vt qui admittunt Vbicationem & non Durationem; aut eadẽ est difficultas cum absurdã principij petitione, adeoq; vbique consequenter neganda hæc imperceptibilis Connotatorum explicatio, quam nec acutissima Hispanorũ DD. *Lugenis, Arriaga, Ouiedo, & Mendozæ* ingenia capere possunt, aut vllam illius probabilitatem videre.

## II. AN GENERATIO SVBstantialis SIT ESSENTIALITER MUTATIO?

Affirmat Arist. *est enim Mutatio totius in totum nullo sensibili remanente vt subiecto eodem, lib. 1. c. 4. text. 23. sicut enim malẽ sibi persuasit generationes ab atero succedentes, sic nullam agnovit generationem, quam non præcederet primatio forma in materiã. Et in eius gratiam volunt aliqui actionem generatiuam intrinsecẽ & essentialiter connotare priuationem, aut ab eadem saltem inadaquatẽ constituis, adeo vt eã absente fit generatio ab aliã eam non inuoluenie, specie diuersa, & quidem intrinsecẽ.*

Negant Thomistæ apud Complut. *Disput. 2. de Gen. q. 2. §. 4. quos è Nostris sequuntur Mendozæ, Arriaga, Ouiedo. cum nec ad generationẽ in genere, nec in specie corporũ naturalũ, actio propriẽ mutatiua requiratur; & si in generatione aternã verbi, & primatiã calorum productione. Vnde Arriaga, & plerãq; definitiones Aristotelis in maiorem claritatem, ita & hanc redigit aut carrigit hoc modo: Generatio Corporis Naturalis est productio alicuius ex aliquo.*

DICO 2. Generatio Corporis Naturalis, licet ordinariẽ, & vt de facto fit, habeat adiunctam propriã mutationem, & priuationem formæ genitæ in materiã tempore præexistentem, id tamen de essentiã actionis generatiuæ nullo modo est: cum Ens ad non Ens, non possit essentialiter referri, aut ab eo essentialiter constitui; nec sufficit ad generationem priuationem solum in aliquo priori naturæ fingere. Quod si forma solum dependentẽ a materiã etiam priuatã educeretur, absque vnione, nec tum foret actio propriẽ mutatiua. posse autem formam educi absque eo quod vnietur materiæ, probabilius cum *Vasquez, Mendozæ, Arriaga. Rub. in lib. de Anima tract. de pot. q. 4. n. 64. contra Suarez & Rub. in lib. de Gen. tract. 1. q. 3. n. 39. existimamus. Quod si creatã etiam Vnione forma educeretur, totum tamen Compositum generatum diceretur, non minùs quàm de facto creatã animã rationali, & vnione educã homo totus dicitur generari.*

## III. AN DISPOSITIONES AD GENERATIONEM SVBstantialEM SALTEM INSTRUMENTALITER CONCVRANT?

Affirmant Thomistæ cum *Masio lib. 2. phys. q. 4. Complut. Disput. 10. q. 5. §. 2. dispositiones prauas instrumentaliter, & quidem totaliter concurrere effectiue, non tantum dispositiue, eò quod nulla substantia sit immediatẽ operatiua. Imò Pererius noster lib. 8. & 14. apud Masium, existimat virtute propriã & non tantum instrumentaliter concurrere. Thomistæ sequitur Rubeus tract. de causa efficiẽtis q. 6. Fonseca in *Meteor. phys. & multi alij; eo tamen discrimine, quod aliqui totam generationem accidentibus vniuersim adscribant, & Thomistæ, alij tantum partialem, & cum forma substantiali communem, & Suarez.**

Negant Scotistæ, quos sequuntur Nominales, item pleriq; è Nostris RR. qui solum disponendi, non efficiendi substantiam, accidentibus potestatem concedunt.

DICO 3. Accidentia siue dispositiones accidentales, non concurrunt efficienter physice, etiam instrumentaliter, ad generationem substantialem; cum nec accidentia

causæ generantis, (vt concedunt Thomistæ) vtpote non semper sufficienter applicatæ; nec accidentia passî id præstare possint in sententia saltem Thomistarum, cum in instanti generationis omnia passî accidentia cum subiecto corrumpantur, & noua primùm à formâ generatâ producantur, Ea tamen, quæ sunt in passu ad substantiæ productionem necessaria, concurrunt vel materialiter subiectum disponendo, vel efficienter moraliter, in quantum agens determinant ad illius generationem, quod quamuis in fieri, siue primâ formæ productione contingat, in conservari tamen, formam substantialem in materia neutiquam à dispositionibus dependere existimat *Ouedo*, nos aut à nullis aut non nisi necessarijs dependere quoad conseruationem existimamus.

#### V. AN GENERATIONIS SVBIECTVM SIT MATERIA OMNIBVS FORMIS DENVDATA?

Affirmant Thomistæ cum Complut. *existimantes recipi in sola materia nuda ab omni formâ, non tantum substantiali, sed etiam accidentali, quæ & Quantitate, cum prius materia recipiat formam substantialem, quàm accidentialem; & cum nullum accidens maneat in genito, quod fuit in Corrupto.*

Negant Scotistæ, & qui cum ijs admittunt Formam Corporeitatis, aut formam parciales, item ij qui cum Suarez volunt generationem substantialem subiectari quidem in materiâ, eâq; solâ, quatenus tamen habet Quantitatem, aliâq; accidentia communia quæ sint communia genito & corrupto.

DICO 5. Generatio substantialis immediatè & adæquatè recipitur in sola materiâ, quatenus tamen disposita est per Quantitatem & alia accidentia: tam parùm autem inde materia generabilis, quàm parùm agens abstractiõne, quantum producit, actum denominatur quantumuis in eodè etiam recipiatur. Imò et si cætera accidentia omnia in toto Composito reciperentur, vt volunt Thomistæ, generatio tamen soli materiæ vt subiecto non foret attribuenda, cum nec genitum nec Corruptum possit esse illius subiectum: non genitum, cum illud sit posterius generatione, subiectum autem debet esse prius: non Corruptum, cum non sit in instanti generationis, subiectum autem alterius existere debet; adeoque subiectum aut non existeret, aut non prius existeret, quorum utrumque est contra naturam subiecti.

#### VI. AN GENERATIO SVBSTANTIALIS DISTINGVATVR AB ALTERATIONE?

Negant Thomistæ Iuniores apud Complut. *Disput. 2. q. 2. §. 4. quos ipsimet sequuntur cum Caiet. Zanardo, docentq; generationem non esse actionem distinctam ab alteratione sine actione dispositiua, sed positâ alteratione, quasi resiliare & consequi generationem, ita vt terminus substantialis resultat sine illâ vera essentia, cum substantiam illam nec accidentia per se attingant saltem principaliter vtpote insufficientia, nec substantia, cum non sit immediatè operatiua, adeoq; sine omni actione.*

Affirmat Communis sententiâ extra scholam Thomistarum, quam Nostri sequuntur, quin & ipsi Thomistæ aliqui cû P. F. Io. de S. Thomâ nobiscum sentiant, & has actiones distinguunt. &c.

DICO 6. Quamuis fortè non implicet vnam eandemque actionem simul esse, & alteratiuam & generatiuam substantiæ, adeoque simul substantialem & accidentialem, cum eadem actio simul ad plures terminos possit terminari, de facto tamen alteratio & generatio sunt duæ actiones, non tantum numero, sed etiam specie distinctæ, non solum propter distinctionem terminorum adæquatè diuersam, sed etiam propter distinctionem agentium, cum actio generatiua ab accidentibus nullâ ratione, nec adæquatè

ſue totaliter, nec inadæquate ſide partialiter poſſit procedere, ſed à ſola ſubſtantia; e-  
contra actio alteratiua ab accidentibus, licet fortè non omnino ſolis, de facto procedat.

VII. AN CONVERſIO REQUIRAT NECESSARIO PRODUCTIO-  
NEM TERMINI AD QUEM?

Affirmant Thomiſtæ apud Arriag. Diſput. 1. de Gen. ſect. 3. ſubſect. 1. quos ſequun-  
tur è Noſtris Suarez tom. 3. in 3. p. Mendoza Diſp. p. 1. P. Coninck. & ipſe Arriag. ex eo  
potiſſimum fundamento, quia ſicut requiritur ad Conuerſionem Vera deſtructio termini  
A QVO ſecundùm communem, ita videtur requiri productio termini ad Quem.

Negant Scotiſtæ, quos ſequitur è noſtris Valquez tom. 3. in 3. p. Eminent. Card. de  
Lugo de Sacramento Pœnit. Diſput. 7. ſect. 1. Ouied. Cont. 2. §. 2. eò quòd ſufficiat ad  
conuerſionem, eſt terminus ſubſtantialiter & ſecundùm entitatem non producatur. Si  
ſecundùm modum aliquem eſſe incipiat, per quem dicatur termino conuerſo ſuccedere,  
quin imò in Conuerſione naturali. & etiam tranſubſtantiatione Eucharifticà eam produ-  
ctionem nec ſufficere, nec neceſſariam eſſe, imò nec poſſibilem ſaltem in Euchariftiis  
efficaciter probatur.

DICO 7. Quamuis omnis conuerſio naturalis de facto ſit generatio, non tamen  
è contra, cum ad Conuerſionem ( quæ eſt mutatio vnius in aliud ) requiratur, vt ad po-  
ſitionem termini ad Quem deſtruatur terminus poſterioris realis, cum quo ſaltem mor-  
taliter repugnet in ordine ad aliquod tertium; quæ tamen generationi vt ſic non conueni-  
unt. Porrò Conuerſio etiam totalis & Formalis ( quæ propriè conuerſio eſt, non item  
materialis ) quamuis quandoque per productionem; aut reproductionem fieri poſſit  
( cum eandem rem ſæpius & quidem ſimul produci non ſimpliciter ) per adductionem tamen  
& Inductionè ſufficienter, & ſecundùm conceptum eius formalem rectius explicatur.

VIII. AN CONVERſIO REQUIRAT NECESSARIO DESTRV-  
CTIONEM ENTITATIVAM TERMINI A QVO?

Negant aliqui apud Ouied. Cont. 2. de Gen. p. 5. §. 3. & conſequenter negandum  
eſſe vult Arriag. Diſp. 1. ſect. 3. ſubſect. 1. ab ijs, qui non requirunt nobiſcum productionem  
Termini Ad Quem ob paritatem rationis, & ſufficere, modo terminus A Quo cedat qua-  
ſi ſuo officio ſine ſui entitatis deſtructione, ſicut ad Terminum ad Quem ſufficit, vt in  
eodem quaſi officio, ſine ſui productione ſuccedat.

Affirmat tamen Communis ſententia apud Ouied, quam ſequitur n. 19. propter  
naturam Conuerſionis, quæ terminus a quo conuerſus in aliud, adeoq; à ſe ipſo tranſiit  
in aliud, quòd fieri non poteſt ſine ſui deſtructione: nihil enim ſeipſum quaſi deſerere po-  
teſt, niſi cum ſui deſtructione.

DICO 8. Ad Conuerſionem propriè dictam requiritur, vt Terminus A Quo eti-  
am ſecundùm entitatem deſtruatur propter communem ſententiam, & modum loquen-  
di, nec ſufficit ſolum officio cedere. Hinc nec in Conuerſione materiali, vel propter  
hanc etiam cauſam inateria in alteram, nec in formali ( quantumuis forma embryonis  
rectè dici poſſit conuerti in animam rationalem ) anima rationalis in vermes, nec in to-  
tali Chriſtus in Euchariftia v.g. in aliam ſubſtantiam rectè proprièque dicitur conuerti.

IX. AN IN CORRUPTIONE CORPORIS NATURALIS FIAT RE-  
SOLVTIO VSQVE AD MATERIAM PRIMAM, QVOD  
FORMAS ACCIDENTALES?

Affirmant Thomiſtæ apud Complut. Diſp. 2. q. 6. §. 2. cum quibus ſentit Rub. lib. 1.  
de Gen. & omnes afferentes Quantitatem & reliqua accidentia ſubſectari in toto com-  
poſito: deficientia enim ſubiecto accidentium in generatione, etiam accidentia corruptū-  
tur;

*etur; maxime cum generatio fit mutatio totius in totum nullo sensibili remanente.*

Negant communiter nostri RR. cum accidentia communia corpori genito & corrupto videant oculi, & ratio conuincat.

DICO 9. Corruptio generationi opposita est desitio alicuius rei in aliam. Differt ab annihilatione, quod hæc nihil, illa verò aliquid sui in desitione relinquat; in generatione substantiali corrumpitur, non verò annihilatur forma substantialis, cum remaneat formæ subiectum, siue materia, eaque disposita per formas accidentales communes Composito genito & corrupto: nec enim opus est omnia accidentia in Corruptione destrui, cum ea, saltem absoluta, non recipiantur in toto Composito, sed solum in quantitate, & quidem adæquatè, quæ cum remaneat materiæ (sux coeua, etiam accidentia remanebunt. nec Generatio est mutatio totius in totum nullo sensibili accidentali, sed tantum nullo sensibili substantiali completo & demonstrabili remanente.

## X. AN IN CORRUPTIONE SVBstantialI VIVENTIVM FIAT RESOLVTIO MATERIAE VSQVE AD FORMAS SVBstantialES?

Negant Scotistæ, & qui cum ijs, vel unam formam Corporeitatis, vel plures partiales substantiales gradum corporis physici saltem incompleti constituentes in vsuentibus admittunt, & P. Egidius Coninck. in tom. de Sacramento q. 76. Adamus Tann. de Sacramento Eucharist. Disp. 5. q. 5. dub. 2. n. 22. Hieronymus Dandinus lib. 2. de anima digress. B. p. 3. ed quod alia materia vsuentium in morte sine omni forma substantiali remaneret.

Affirmant Scotistæ, cum quibus communiter sentiunt RR. nostri cum Eminenti. Card. de Lugo de Sacramento Eucharistia Disp. 8. sect. 4. & potissimum Hispani, aded & Arriagi. Dissert. 2. physico sect. 6. subsect. 1. 2. 3. 4. dicit, quod in tota Hispania nullus omnino sit, qui formas partiales defendat, aut illas impugnare dignetur, in Italia pauci, in nostris verò paribus rarissimi. Unde ex innato formarum partialium odio malant admittere formam cadaveris totalem in instanti mortu de nouo produci, & corruptio vnius sit semper generatio alterius, quam unam materiam tot substantialium formis discontinuare, & variare.

DICO 10. In Corruptione substantiali etiam Viventium fit resolutio materiæ vsque ad formas substantiales, ita quidem vt vel materia sine omni forma substantiali aliquamdiu existere posse non omnino improbabile foret, nisi communis auctoritas reclamaret, vel Forma cadaveris in instanti corruptionis in priori naturæ sit admittenda, cum corruptio vnius sit generatio alterius. Formas autem partiales velut superfluas ad rationem corporis, nullo fundamento subnixas, nullæq; ratione substantiales, aut cum forma totali simul in eadem materia compossibiles damnamus.

## XI. AN CORRVPTVM DENO REPRVDVI POSSIT?

Affirmant Platonici naturaliter id in anno Platónico siue Magno, & Pythagorici in sua Mesempsychoseuenturum; & probabile in aliquibus effectibus censet Scotus 4. sent. dist. 43. q. 3. art. 1. apud Conimbric. cum calor, & verbi gratia, spatio trium hora quadrantum existens independenter à secundo, in tertio existat, consequenter corruptus denno in tertio reproduci potest. & supernaturaliter id fieri posse tenent Thomista & Scotista cum communi sententia, cum eius nulla sit implicancia.

Negant Naturaliter fieri posse cum Aristotele Conimbric. & communiter alij; imò & illum Compositum, cuius forma aliquando interijt, à Deo etiam supernaturaliter reproduci posse negat Durandus in 4. dist. 43. Abulensis ad c. 22. Matthei apud Conimbric. 3. ed quod sicur tempus reproduci non potest secundum omnes, ita nec vllum compositum à tempore essentialiter dependens,



**DICO 11.** Res eadem naturaliter reproduci non potest, eò quòd natura in nostra sententia nò minùs sit determinata ad effectum tantùm semel producendum, quàm Deus, si ad indiuiduum actùs determinaret, ad ostendendam suam liberalitatè & omnipotentiam infinitam, causam naturalem tantùm semel ad effectum eundem secundùm Comibric. & alios cum ijs sentientes determinaret. Certum deinde est apud omnes, Compositum cuius forma non interijt, reproduci posse, qui cù Catholicis credunt Resurrectionem mortuorum. Compositum verò & entitatem quamcunque siue successiuam siue permanentem, modò tempus non sit, aut à tempore essentialiter dependens, reproduci posse cum melioribus philosophis, saltẽ supernaturaliter, tenemus.

## XII. AN CREATIO SIT MODVS SVBSTITIATIALIS?

Affirmant *Vniuersim aliqui actionem ad substantiam terminatam esse substantialem, & creationem esse modum substantialem tenet Suarez Disp. 20. sect. 4. n. 27. & 28. cum Bécano 1. p. tract. 1. c. 18. n. 7. eò quòd in nullo sit subiecto.*

Negant tamen pleriq; *Et omnem actionem esse creationem ensitativè volunt esse accidentalem; quantumuis ad substantiam terminetur, nec enim necessariò illius ensitativus est actio, cuius est terminus; aliàs actio, quæ producitur Vbi, deberet esse Vbi, aut qua ad qualitatè, qualitas, scq; totum predicamentum actionis tolleretur.*

**DICO 12.** Supposità naturali demonstratìone Dei, demonstrari quoque & cognosci potest possibilis creatio, quantumuis eam veteres negarint iuxta illud vulgatum, ex Nihilo nihil fit, eamque de factò dari animæ rationalis, Angelorum, materiæ primæ primæ productio, & quotidiana reproductio satis perfundet. Vt autem aliqua res dicatur propriè creati, non necessaria est productio rei ex Nihilo cum Nouitate essendi, vt si creatura ab æterno existens possibilis esset, ea propriè creati posset. Sufficit, vt ex nullo præsupposito subiecto tanquam causâ materiali educatur; vnde negatâ causâ materiali vt tamen velle facere videtur Arriag. & Less. omnes res necessariò dicerentur creati. Porrò Modus creationis, quantumuis à substantia siue creata siue increata procedat, aut ad terminum substantialem tendat, tam parùm est substantialis, nisi summum terminatiuè, quàm parùm Vbi alicuius substantiale; licet autem accidens modale sit, nullum tamen subiectum habet, cum id ad rationem accidentis non requiratur, nec creatio ex naturâ suâ habere possit subiectum aut educationis aut receptionis. est proinde creatio in effectu suo, velut in termino, non vt in subiecto.

## XIII. AN ACTIO CONSERVATIVA SIT EADEM NVMERO CVM PRODUCTIVA?

Affirmat Arriag. Ouid. *Contr. 12. p. 4. & communiter alij. Saltem tunc cùm causa produciens & conservans est eadem, nec mutatio in effectu interceffit.*

Negat Eminent. Card. Io: de Lugo, eò quòd *conservationem cum rei duratiòne identificet, sicut proinde semper alia & alia est duratiò, ista & conservatiò, à primâ productione distincta.*

**DICO 13.** Quamuis Conservatiò sæpe sit diuersa ab actione productiua tum videlicet, cùm alia causa est produciens, & alia etiã tantùm inadæquatè conservans; tamen cùm eadem est produciens & conservans, vt in Angelo & anima rationali, tum eadem numero est actio Conservatiua & productiua. Porrò effectus, qui dependent necessariò in conservari à causa secunda, vt lux, species, non petunt determinatè conservari à causa se producente Vniuersâ vel æquiuocâ, sed indeterminatè & disiuñtè ab alterutra etiã adæquatè, vel ab vt àque inadæquatè. Effectus verò qui non dependent necessariò in Conservari à causa secunda, vt calor, frigus, v. g. & substantia ignis, si habeant

beant causam secundam se producentem aut saltem potentem producere sufficienter sibi applicatam, non minùs ab ea conseruantur saltem partialiter, quàm producti fuerint, vel saltem produci poterint. Est autem Conseruatio continuata rei productio non ratione sui sed termini existentis, nec ei nouitas aut initium essendi repugnat, sed termino.

**XIV. AN CREATURA POSSIT SEIPSAM SALTEM INADAEQUATE CVM CONCVRSV DEI GENERALI CONSERVARE.**

Affirmant aliqui apud *Lesium de perfect. diuini lib. 10. c. 4. sicut enim potest cura generalis Dei concursu rem aliam producere, ita non minùs cum eodem concursu videtur seipsam posse inadæquatè conseruare.*

Negat tamen S. Thom. 1. p. q. 104. a. 2. ad 2. expressis verbis, & illi rei tribuit, & sic sui conseruatiua. quam ex nostris sequuntur Suarez. Vasquez. Molina. Arriag. & Quiedo. cum quibus

**DICO 14.** Sicut nulla creatura potest etiam inadæquatè seipsam producere, ita nec conseruare: non minùs enim ad sui conseruationem requiritur, & supponitur sui existentia, quàm ad sui productionem, nec sufficit in priori instanti existisse, cum in posteriori perinde sit, ac si in priori nõ existisset; pro eo proinde instanti, in quo est, se nequam physicè conseruare potest.

§. II.

DE ACTIONIBVS ACCIDENTALIBVS.

**XV. AN ALTERATIO SIT SVCCESSIVA?**

Affirmat communis sententia, & experientia, saltem tunc, cum aut qualitas alteratiua successiuè applicatur, aut cum sit inter qualitates contrarias, idq; vel propter resistantiam aliam contrariae qualitati, & aliqui volunt, & vel propter resistantiam formalem, & Quied. Cont. 6 p. 4. §. 2. rectius contendit.

Negat perdoctus quidam Magister apud Quied. c. 6 p. 4. §. 1. alterationem per se esse successiuam, sed quamlibet qualitatè stantem in primo instanti producere, quantum producere potest, quantumuis resistente contrario, per accidens tamen ab effectu a se producto adiutam intensius operari posse, & successiuè.

**DICO 15.** Alteratio strictè sumpta est, Mutatio terminata ad Qualitatem habeantem contrarium, & alterius destructiuum. Hæc secundum se spectata non est essentialiter successiua, potest enim absoluerè in vno eodq; primo instanti producere, quicquid potest. vt tamen ordinariè fieri solet inter qualitates contrariè oppositas, est successiua tam secundum intensionem, quàm extensionem, non tantum propter applicationem successiuam, aut resistantiam qualitati, contrariæ actiuæ, sed propter resistantiam formalem, quæ quia minor est in secundo instanti quàm primo, plus qualitas alteratiua producere potest in secundo, quàm in primo, adeoq; successiuè, non simul, actio alteratiua absoluetur. Perdoctus ille magister supponit simile posse agere in simile, imò minùs intensum in magis intensum contra omnem Philosophiam.

**XVI. AN ALTERATIO SIT CONTINVA ET NON INTERRUPTA?**

Affirmant communiter Philosophi, non tantum antiqui, sed etiam RR. apud Arriag. disp. 2. sect. 3. subsect. 2. cum nulla huius interruptionis aut moratio, aut experientia necessarius afferatur. Nihilominus

Negat Arriagè absoluerè, & alterationem per morulas interruptam esse fusè conseruandam, non propter rationè à priori. sed à posteriori ob experientias, ne aliàs, aut in istius oculi infinita propè fieret qualitatè intensio & extensio, aut species soni & sonus ipse in instanti diffunderentur, aut deniq; lapis afferem granitans illum non statim frangeret.

aut in illo lineam describeret. Quod, Verò *Cont. 6. p. 6. §. 2. negat quidem esse discretam & interruptam quoad extensionem in partibus proximè agentis, non autem quoad extensionem & in partibus remotioribus, idq; propter Vniformem & difformem, eamq; secundum determinatum excessum qualitatis in contrariam agendi rationem: propter quam velut rationem à priori alterasso videtur esse interruptenda, & per morulas temporis discontinuanda.*

**DICO 16.** Sicut morulæ in motu locali v. g. alicuius rotæ sine partium fractione aut inflexione sunt impossibiles, ita in motu alterationis per se nullo modo sunt necessariae. Potest proinde alteratio esse continua & interrupta etiam inter agentia contraria, ac utque resistentia; aut enim actio alteratiua omnino cessat, aut in posteriore instanti continuatur cum priore, sine vlla quiete, cum in tertio instanti non plus actiuitatis habeat, quàm in secundo, si proinde immediatè post non agit, nec in tertio agere poterit. si per accidens quoque quandoque vel ob interruptam applicationem vel vniformem difformemque agendi rationem, aut denique particularem alicuius qualitatis v. g. soni naturam, morulæ istæ intercedant, id vniuersaliter de omni alteratione, non erit necessarium & per se concludendum.

### XVII. AN ACTIO ET REACTIO SIT INTER OMNIA AGENTIA, ET QUIDEM PRIMO APPLICATIONIS INSTANTI?

*Negant apud Oued. Cont. 5. p. 5. §. 3. aliqui: cum enim Reactio fiat per destructionem contraria qualitatis, in primo autem applicationis instanti, impossibile sit eam ab altera destrui, hoc ipso quod ponatur pro illo instanti existere, non autem potest pro eodem instanti existere, & non existere, qualitas reagens in primo instanti tunc reageret, quando non est, quod fieri repugnat.*

*Affirmat Ouedo cum communi Philosophia, eo quod in primo applicationis instanti Qualitas totam habeat actiuitatem expeditam, cur itaq; non agat aut reaget?*

**DICO 17.** Reactio & actio est mutuus contrariarum qualitatum conflictus, qui tamen per accidens inter qualitates contrarias impediti potest, nedum inter qualitates solum perfectiuas contrario carentes, vt tamen fusè Arriaga contra neminem fortè id negantem superflue probat. Nihil ob stare videtur, quin omnibus ad agendum positis statim qualitas in primo applicationis instanti à contrario vincatur secundum vnū gradum, & secundum alios reagat in eodem instanti, hostemque suum infringat. illud verum est qualitatem per actionem in aliquo instanti destructam, pro eodem reagere non posse: aliàs esset & non esset, quod implicat.

### XVIII. AN INTENSIO QUALITATIS FIAT PER ADDITIONEM GRADVS AD GRADVM?

*Negant I. Thomistæ, qui in maiori Qualitate in radicatione constituent, eamq; per nouam qualitatem vel existentiam, vel eductionem, vel vniionem, vel maiorem qualitatis explanationem in subiecto, vel deniq; per modum superadditum qualitati praexistenti explicant, ex eo quod plura accidentia solo numero distincta in eodem subiecto esse non possunt, & pote à quo indiuiduentur, & suam accipiant diuersitatem. II. Negant alij, qui Intensionem, & remissionem in conuersione qualitatis praexistentis in aliam perfectiorem, (vnde intensio) aut in imperfectiorem, (vnde remissio est) collocant.*

*Affirmat Scotistæ. quos ordinariè nostris sequuntur, tam Antiquiores, quàm Recentiores, cum & gratia, virtutum, aliarumq; qualitatum incrementum, aut decrementum alià commodiore ratione & sic possit explicari.*

**DICO 18.** Cum Impossibile sit qualitatem eidem subiecto vnitam modò maiorem, modò minorem effectum formalem tribuere, intensio fieri non potest per radicationem

tionem maiorem eiusdem qualitatís, quomodo unq; tandem explicetur, sed necessario per additionem vnius gradús ad alterum erit explicanda: sicut enim subiectum calidum fit per productionem caloris, ita magis calidum fit per productionem alterius caloris. nec minús intensio pro suo termino habet productionem Qualitatís, quàm simplex alteratio, tam parùm autem plures Qualitates v.g. calores in eodem subiecto solo numero diuersi repugnant, quàm parùm plures species aut cognitiones solo numero diuersæ simul in intellectu, cum ab eo non indiuidentur. Nouam autem qualitatem, eamq; perfectiorem aut imperfectiorem vnione destructâ in intentione aut remissione produci necessarium non est, nec causa vlla corruptens apparet.

### XIX. AN INTENSIO QUALITATI CONVENIAT? ET OMNI?

Affirmat communis sententia Thomistarum, Scotistarum, adeo vt nec vnus contradicat, quamuis in modo intentionis, & dictum, valde discrepent.

Negant etiam pleriq; omnem qualitatem intendi posse, maxime vero potentiam naturalem & impotentiam, contra Dominicum Bannes lib. 1. de Gen. q. 3. quasi assereret has potentias intendi, quod tamen non videtur asserere, de intentione subiectiua, sed ad summum obiectiua.

DI CO 19. Ex prædicamentis sola Qualitas per se intenditur. vnde nec substantia, Quantitas, nec vllum aliud ex prædicamentis per se est capax intentionis subiectiua, imò nec omnis Qualitas, maxime vero potentia, & impotentia naturalis, quæ sicut remitti non possunt, ita nec intèndi. Porro etiã vna Quantitas alteram penetraret in eodem subiecto, aut plures formæ substantiales in eadem materiã, aut plures vocationes, aut actiones totales in eodem termino, non tamen substantia, Quantitas intensior, aut corp. slocatum vel productum intensus foret, ex eo quòd tam parùm omnes res intèndi possint per additionem vnius entitatís ad aliam, quàm parùm ounes continuari, et si sint eiusdem rationis.

### XX. AN GRADVS INTENSIONIS SINT HOMÓGENEI?

Negant multicum Eminent. Card. Io. de Lugo, P. Koninck, Mendoza & Suarez, quia alias non apparet, quomodo Intensio sit perfectior. Extensione, aut quomodo Intensio non possit fieri infinitum, aut cur simile non agat in simile, aut cur in remissione hic potius quàm alius gradus destruat. Volunt autem aliqui eos gradus individuali perfectione inæquales esse, alij vero specificis, alij distinguunt inter qualitates habentes contrariũ & operatiuas, & non habentes contrariũ aut non operatiuas, illasq; esse volunt solum diuersarationu, non verò istas, eò quòd in hiis ea incòuenientia non sequantur, & in istis.

Affirmat Scotistæ, quos sequuntur è Nostris Valquez, Rob. Coninbriç. Arizg. ita quidem, & illi gradus nullam habeant inter se subordinationem, aut ordinem, & consequenter nec inæqualitatem perfectionis individualis, (quam aliqui implicare putant,) nec etiam specificam. Ouid. Cont. 4. p. 2. §. 2. Veriq; sententia aliquid concedit, & nec ex subordinatione graduum eorundem inæqualitatem inferri existimat. possibile proinde putat qualitatem intensam ex gradibus inæqualibus & æqualibus, & ita de facto quandoq; fieri existimat intensiorem ex gradibus æqualibus & inæqualibus, modo paucioribus, modo pluribus, modo omnibus, vno lo nullis temere quasi concurrentibus, cum & transq; generu gradus in causis creaturè reperiantur.

DI CO 20. Quamuis inæqualitatem graduum perfectionis individualis omnino possibilem esse, eamq; fortè in aliquibus qualitatibus defecto dari existimus, Intensionem tamen vniesiliter fieri per gradus heterogeneos, eosq; sibi subordinatos necessarium esse non existimamus, id eòq; sicut natura à multitudine entiu superflua omnino abhorret, ita à multitudine perfectionum inæqualium in gradibus intensiõis omnino

minimè abstinere, cum sine ea intentionem facere, & omnia heterogeneorū graduum officia per eiusdem rationis gradus sufficienter explere possit, maxime cum eius diuersitatis & inæqualitatis in gradibus, eorūque operationibus, nullum omnino deprehendatur indicium, aut argumentum.

**XXI. AN SIMILE POSSIT SIMILE ET IDEM SE IPSVM INTENDERE ACTIONE VNIVOCA?**

Negat cōmunis sententia omnium D.D. cum à posteriori & experientia constet duo æqualiter calida sibi applicata nec ad summum se intendere, nec calidum ut 4. applicatū calido ut duo & frigido ut 6. a calido adiuuari, sed tantum infrigidari. à priori autem probare difficultus est in sententia constituyente gradus esse homogeneos. Arriaga cum communi ait id fieri ob deficientem finalem causam operandi, quæ est assimilare sibi passum. Quædò verò in astricturam qualitatis impeditur propter alterius conseruationem resistit. Nihilominus.

Affirmat Card. Toletus lib. 1. de Gen. c. 7. q. 13. posse simile aliquo modo agere in simile per accidens ratione maioris densitatis, & pro se citat Marfilium, cui, inquit Quied. subscribunt plurimi recentiores, eò quòd calidum in materia densa sit actiuus quàm rara, ut patet in ferro candente, quòd dispositionem caloris sufficientem pro igne producere potest ratione densitatis, quam tamen in se non continet.

DICO 21. Nec idem in se ipsam actione vniuocà agit, aliàs calidum ut vnum se calescere posset ad octauum gradum, nec simile in simile, etiam ratione densitatis maioris, hæc enim solum conferat actiuitatem celeriore aut extensiore, non intensiore. Id autem non fit ex eo, quòd finis illius sit assimilare sibi passum, ut vult Arriaga. cum ea similitudo vel primariò non intendatur à qualitate saltem dispositiua, aut et si ea per se intenta per accidens impeditur, nihil aliud fieret, quàm monstrum aliud quòd in alteratione accidentali, sicut sæpe fit in generatione substantiæ. Nec ex eo quòd simile producendo simile impediatur ab alterius conseruatione, cum ea conseruatio necessaria non sit, aut saltem non mutua, vnde saltem vnum simile in alterum agere posset, sed ex eo, quòd dissimilitudo passus sit conditio necessaria ad operationem Qualitatis non minùs, quàm approximatior. cuius conditionis rationem à priori aliam dare non possumus, quàm approximationis, nempe naturam rei, quam à posteriori & experientia colligimus.

**XXII. AN QUALITAS INTENSA PRODUCAT EFFECTVM SIBI IN GRADV AEQVALEM IN SVBIECTO EXTRANEQ?**

Negat communis sententia ob vniuersalem & difformem agendo rationem, propter quam fit, ut ob defectum sufficientis approximationis nunquam totum suum effectum in passo à se non penetrat producat, sed semper pro distantia maiorem vel minorem. & ne alius daretur processum in infinitum.

Affirmat tamen Rubius lib. de Gen. c. 9 q. 6. n. 59. posse qualitatem sibi passum etiam non penetratum perfecte assimilare per accidens ratione densitatis & magnitudinis, ita ut quòd deest in approximatione, suppleatur per densitatem.

DICO 22. Probabilius est qualitatem non posse passum extraneum sibi perfecte assimilare, non quidem fortè ob defectum approximationis, sicut enim ea substantiam non impedit, quòd minùs in passo etiam non perfecte penetrato substantiam similem & æqualem producat, ita & qualitas fortè producere posset. non desiderat perfectissimam penetrationem, sed solum approximationem. sed quæ eius ratio? nõ occurrit melior quàm natura Qualitatis: Sicut enim aliquæ non sunt productiue vllius qualitatis similis, ita aliquæ sunt actiue & productiue qualitatis non tamen sibi vndiq; æqualis. nec ex eo.

quòd substantia possit sibi perfectè similem substantiam producere, idem de qualitate dicendum, quia defectus ille in qualitate aliunde suppleri potest, non item in substantia, quæ si semper deterior produceretur, breui omnino deficeret, quod periculum non est in accidente.

### XXIII. AN ALTERATIO DECRESCAT SECUNDUM PARTES PROPORTIONALES?

Negant Mendoza, Arriag. *Et communis philosophia: cum enim Forma Substantialis Vivens saltem in prima ultimâq; productione simul in partem determinatam, Et aliquorâ, aut unum totum indivisibile materia simul necessario inducatur (requirit enim determinatam quandam magnitudinem) etiam dispositio alterativa in partem adequatam simul induci debet, ne dicendum sit materiam aliquamdiu existere sine omni formâ substantiali, aut formâ in illâ esse sine debitiâ dispositione; quorû stirumq; horret philosophia. maximè cum species soni Et lucis hanc uniformem difformè agendi rationem non per partes proportionales, sed determinatas exerceant; aliâ ad tantam distantiam vix operari posse viderentur, aut in parte proximâ infinita propè deberet lux admitti. Multò minus concedi potest intensioem aut alterationem fieri per partes proportionales.*

Affirmat Ouid. *Cont. 5. p. 4. §. 5. n. n. 45. Et sane omnes ij admittere videntur, qui rationem adequatam actionis Uniformis difformis in maiore vel minore distantia constituent; nam sicut est actio uniformis difformis post quamlibet partem determinatam, quia omnes inæqualiter distant, ita de partibus proportionalibus à se distantibus esse sentiendum, quo ipso iterum infinitum actu in his partibus resultaret infinitâq; intensio, Et remissio concedi deberet.*

Dico 23. Licet quæstio hæc non multùm premat eos, qui Continuum componunt ex indivisibilibus hœntis, & faciliè concedi posset absque vllò absurdo alterationem decrescere post singula indivisibilia, propter inæqualeni corruum distantiam ab agente; nihilominus in nostrâ quoque sententiâ dicendum est, eam posse per aliquam extensionem siue unius siue plurium indivisibilium æqualiter durare, nisi vel in finitum actu vel materiam sine forma substantiali, vel formam substantialem sine dispositione contra torrentem philosophiæ admittere velis, quòd autem post hanc vel illam passî extensionem deficiat, vix alia ratio assignari potest, nisi natura Qualitatis per experientiam explorata, sicut enim Qualitas non potest in quamlibet spheram agere, sed in determinatam, ita & naturâ suâ determinata est ad tantam intensioem, & quidem in tantâ extensione producendam.

### XXIV. AN INTENSIO QUALITATIS FIAT PER ANTI-PERISTASIN?

Negat apud Rub. I. Galenus lib. 3. de simplicium medic. facult. c. 7. stem Cardanus lib. 2. subtil. per antiperistasin §. g. in hyeme verè aquas puteales calefieri, Et intendi, sed tantum apparenter ad contingere, Et secundum deceptionem, eo modo, quo qui manibus valde frigidis tangens aquam tepidam putat esse calidam, eandem tangens manibus valde calidis putat esse frigidam. Negant II. etiam ij, qui actionem antiperistaticam solam constituent in condensatione partium, per quam partes magis inter se unantur, sicq; fortiores redduntur, non verò in propria intensioem.

Affirmant pleriq; sed in modo differunt, aliqui apud Suarez. Disput. 18. metaph. sect. 9. n. 13 putant eam qualitate intendi per actionem reflexam specierum intentionabilium à qualitate obfesa emissarum, alij volunt contrarium à fortiori circumdatum propria conservationis appetitu suam actionem intra se colligere, atq; in se ipsum actionem etiam univocam convertere. alij aliter explicant.

**DICO 24.** Intensio antiperistatica, est roboratio qualitatis ob circumstantias contrarium, ut sit sæpissime in cellis vinarijs, alijsque locis subterraneis, puteis, stomachis animalium, qui in hyeme ideo sunt calidiores, quam in æstate. item in guttis pluviæ, quæ propter summum æstus circumstantis intenduntur secundum frigus, & congelantur in grandinem. eodem modo in peponibus, qui solis calori expositi magis dicuntur frigescere. Intenditur autem calor in his casibus à circumstante frigore nõ effectivè, sed quatenus, illud calidioribus exhalationibus inclusis & obfessis exitu præcludit, ut vult *Suarez*, cum *Murcia*. Frigus verò in antiperistasi circumstante calore intenditur, productione novi frigoris per emanationem à forma substantiali, postquam calidiores partes ex frigido corpore occasione caloris circumstantis sunt extractæ, vel exclusæ. calx viva fortè non per antiperistasin, sed per calorem virtuales, qui per aquâ affusam excitatur, incalcescit.

### XXV. AN INTENSIO QUALITATIS FIAT PER REFLEXIONEM QUALITATIS, ET QVOMODO?

*Negant I. aliqui apud Ouid. Cont. 5. p. 2. §. 1. eò quòd aliàs simile aperet in simile, aut minus intensum, in magis intensum, docentq; obstaculum, ex quo fit reflexio & g. lucis, aut caloris producere qualitatem in partibus collateralibus aëris recipienti* *Qualitatem ab ipso agente, qua cum nullam vel valde remissam ab eo acceperit, ab obstaculo possunt intendi, quod maiorem intensoremq; qualitatem recipit ab agente præcipuo, quam partes collaterales, cum in hac solùm linea obliquâ, in aliâ verò rectâ insluxerit.* *Negant II. qui quædam maiore & extensionem qualitatem in reflexione agnoscant negant tamen esse intensorem, eò quòd lux directâ & reflecta, & ipse diversarationis non se intendant.*

*Affirmat communis sententia & experientia. Sed in modo valde variant; alij volunt totam intensorem in reflexione provenire ab agente præcipuo & primo, quod qualitatem in partibus corpori obstaculo vicinioribus reflexè producit, quam producturum fuerat remoto obstaculo in partibus posterioribus; alij ab agente quidem primo & g. sole, sed postâ conditione obstaculi, ut vult *Arriaga* *Disp. 3. sect. 8. subsect. 2. n. 143* alij ab obstaculo veluti causâ aquosiorâ eminenter & virtualiter in se intensorem qualitatem continente, ut volunt recentiores alij; alij à luce obstaculi intensiore, quam sit in medio, eò quòd sol & g. per accidens ratione maiori dispositionis densitatis & maxime refractionis, in obstaculo lucem intensorem producat in passu remoto, quam proximo, ut vult *Mendoza* *Disp. 9. physic. sect. 9. alij deniq; à luce obstaculi, & agente præcipuo simul, ut vult Ouid. Cont. 5. p. 2. §. 2.**

**DICO 25.** Lux reflexa & intensa v. g. in aëre recepta provenit partim à luce obstaculi, partim & præcipuè ab ipso luminoso corpore v. g. solis, sic enim simile uniuocum non agit in simile, cum ea intensio proveniat à causâ æquiuocâ, quantumvis concurrat etiam veluti causâ inadæquata lux obstaculi debilior, quod intensiori qualitati non repugnat. Cur autem agens præcipuum cum opposito v. g. speculo lucem reflexam producat in partibus aëris speculo viciniis, & non cum alijs partibus aëris in alijs quoq; propinquioribus, ratio esse potest densitas speculi, ratione cuius obstaculum habet plures partes materiæ, & etiam lucis & caloris unitas, à quibus ad operandum reflexè præcipuè agens determinatur, ut vult *Ouidio*; vel quia reflexio debet fieri ex corpore in corpus sibi non unitum, ut vult *Arriaga*. Postâ autem hac reflexione nihil obstat, quo minus denuo à luce reflexâ, lux obstaculi v. g. speculi denuo intendatur, utpote per se remissior, nisi dicere velis cum *Arriaga* in obstaculo nullam omnino esse lucem reflexam, licet enim speculum appareat cum maiori luce, ea tamen fortè non in speculo est, sed in aëre qui speculo est proximus, idem enim oculus discernere non potest, & certè illud,

quod perfringit oculos intentuum, quando fit reuerberatio in speculo nō est semper maior lux, sed est ipse sol vel radij solares aëris, qui videntur per reflexionem specierū, sicut videtur homo per reflexionem specierum intentionalium.

## XXVI. AN RAREFACTIO ET CONDENSATIO FIAT PER INTROMISSIONEM CORPUSCULORUM?

Affirmat Arriag. *Disp. 6. phys. sect. 9. subsect. 2. Quid. Cont. 7. p. 5.* cū plurimis re-  
centioribus. Voluntq; rarefactionem fieri cum separationem partium continuis per intromissi-  
onem nescia quorum corpusculorum & g. aëris, & condensationem cum continuatione ead-  
rundem, per expulsionem & extrusionem corpusculorū, eo modo, quo folles intromisso aë-  
re, vel excluso diducuntur, & condensantur, & sanē in corporibus eiusmodi poros esse,  
qui corpusculis repleantur, ne detur vacuum, vix negari potest, adeo & in ferro quoq; den-  
sissimo admittuntur, qua sententia penetrationem replicationemq; corporis in rarefactio-  
ne & condensatione clarissime deusas, in quā tamen cetera sententia insidere videntur.

Negant cum Mendoza plurimi alij, sed iterum in modo explicandi variant; alij in  
rarefactione vacuum admittunt, quod in Condensatione expletur; alij cum Scoticis no-  
uam quantitatem produci aut priorem destrui adequatē vel inadeguatam saltem pene-  
trationem, in rarefactione verō vel nullam vel minorem admittunt & aliqui recentiores;  
alij maiorem aut minorem extensionem per qualitatem raritatis aut densitatis produci  
contendunt, ita, ut eadem entitas modo maiorem, modo minorem locum possit occupare.

Dico 26. Rarum est, quod sub magnis dimensionibus parū habet materię,  
densum verō, quod sub paruis dimensionibus multum habet materię, vt lac, oleum,  
quę calida rarefunt, frigida condensantur. Porro Rarefactio & condensatio non bene  
explicatur per vacuū, cū id natura horreat, & ad illud euitandum, quodlibet corpus  
naturale habeat virtutem alterius attractiuam: Nec per productionem aut destructio-  
nem Quantitatis, cū ea materię coęua nec generabilis nec corruptibilis sit: Nec per  
penetrationem corporum saltem adequatam, cū id sit contra naturam Quantitatis:  
sed per maiorem vel minorem extensionē siue vbiationem eiusdem entitatis in se nec  
auctę nec dimiņutę explicatur, quę tamen non raritatis vel densitatis velut qualitatis  
distinctę, sed potissimum calorıs & frigoris beneficio comparetur; facili autem capitur  
quomodo eadem in se entitas modō maiorem, modō minorem locum occupet, sine re-  
plicatione aut condensatione, si indiuisibilia virtualiter extensa in continuo admittan-  
tur, non item, si partes asserantur, vt alibi dictum. Si quandoque corpus aliquod per  
Intromissionem corpusculorum quasi infletur aut per expulsionem extenuetur, ea tam  
parū propria rarefactio aut condensatio est, quā cū pila aut follis inflatur, aëre in-  
tromisso, aut eodem emisso iterum extenuatur. præterquam quod rarefactio aut con-  
densatio per illa corpuscula vniuersim explicari non potest, cum læpè fiat rarefactio sine  
taliū corpusculorum intromissione, vt cū in vasculo vitreo eoq; pleo, aqua rare-  
fit, ita vt rumpatur; vbi rarefactio sine intromissione Corpusculorum necessariō debet  
explicari, aut ratio non esset, cur vasculum rumpeatur.

*Hac de Ortu & Interitu docta dissertatio fides & boni moribus nihil contra-  
ria lucem & concertationem publicam meretur.*

PETRVS BRAIERVS Societatis IESV SS. Theol.  
Professor & nunc Decanus.

*Erudit. u. hæc ac multis modis commendabiles Controuersias de Ortu & In-  
teritu publicā luce ac concertatione dignas censeo.*

IACOBVS FIVA Soc. IESV Sacrę Ling. ac Ma-  
theseos Professor ordinarius, nec non Philosophi-